
# SVFFRAGIA

## In Canonizatione S. ANDREÆ CORSINI CARMELITANI Epiſcopi Feſulani.



ROMÆ,

Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. MDCXXIX.

*Superiorum Permiſſu.*

# SANCTISS. D. N. VRBANI PAPAE VIII.

## Propoſitio, & ſententiarum rogatio PRO CANONIZATIONE B. ANDREÆ CORSINI.

MILITANTIS Eccleſiæ ſolicitum, varijſque perturbationibus obnoxium ſtatum, non aptiùs alio, quàm *Nauis* in mari fluctuantis ſymbolo, ſi quis attentè conſideret, exprimi poſſe crediderit: quod facili negotio comprobarit, ſi velit ire per ſingula, quæ congruunt vtriuſque regimini. Nec ab re fuerit exiſtimare, no-

bis hanc à Chriſto Domino inſinuatam fuiſſe cognitionem, dum ſæpiùs in mari voluit è nauicula docere diſcipulos: & huc forſan reſpexerunt Summorum Pontificum primi, qui ſibi ad ſubſignanda diplomata delegerunt annulum effigie Piſcatoris in nauicula cælatum: hinc etiam videtur inualuiſſe mos, vt de Eccleſia differentes, eam *Petri Nauim* dicamus; nec Patrum deſideratur authoritas, qui *Nauim* Eccleſiæ typum eſſe confirment. Hanc profectò nauim ſancti Spiritus afflatu dirigi, non licet ambigere. Quod cùm ita ſit, quis eat inficias, ab eodem ſancto Spiritu Eccleſiæ eam iniectam fuiſſe mentem, vt Beatiſſimam Virginem *maris Stellam* nuncupet? Huius ſaluberrimæ lucis opem ſentire eos, qui rerum humanarum tempeſtatibus agitati, eiuſdem Virginis implorant patrocinium, pro comperto eſt: quod Illa ſæpè liberaliter ſolet, & clementer impartiri, fuſis ad Filium precibus, vt diuinam ob peccata noſtra vindictam nobis imminentem auertat. Noſtris verò præſertim temporibus, varias minitantibus procellas, luculentum libera-

litatis


litatis exhibuit, & clementiæ teſtimonium. Non ſatis enim fuit, vt Ipſa genus humanum prauis affectibus æſtuans, luce ſua iuuaret, & ſolaretur: ſed quos antiquitus vana gentium ſuperſtitio ſplendores Caſtori & Polluci ad tutelam nauigantium perperam tribuit, videmur iure optimo nos Sanctiſſimæ Virginis beneficio acceptos referre debere. Suſpicimus enim geminos ab eius luce radios recenter promicantes, Sanctam videlicet Tereſiam, nuper albo Cælitum adſcriptam, & Beatum Andream Corſinum, præcipuis eiuſdem Virginis prærogatiuis inſignitum; ex cuius religioſa de Monte Carmelo familia, prodijt amborum decor, & ſplendor, qui nobis affulget. Omnium iam patet oculis affatim ſanctæ lumen Tereſiæ: ſed vt etiam magis eſſet conſpicuum Beati iubar Andreæ, feruentiſſimis votis, & accuratiſſimis precibus olim Reſpublica Florentina ſuo Ciui generis nobilitate præſtanti, ſuppliciter à noſtris Prædeceſſoribus petijt, Sanctorum cultum ritè decerni: nec minori deinde ſtudio Corſina Gens, & Ordinis Carmelitani Generalis

Præpoſitus, intermiſſam rerum viciſſitudine petitionem proſecuti ſunt; quibus pluries iterata Regum, aliorumque Magnorum Principum efficax acceſſit poſtulatio. Quamobrem Serui Dei, quæ per tria fere ſæcula conſtanti fama percrebuit, ſanctimoniam, ac priuſquam naſceretur, præſagitam, & in mira ad Epiſcopatum Feſulanum electione celebratam, diligens habita more maiorum perquiſitio comprobauit. Nam in Palatij noſtri Auditorio, & per Patres à ſacris Ritibus ſolerter eſt examinata; ac demum in Conſiſtorio noſtro ſecreto relata ſimul cum operibus, quæ ſupra mortalis conditionis vires B. Andreas viuens, & poſt obitum mirabiliter patrauit: Inter quæ hecticæ, & aſſiduæ pulſæ repente febres, morbus comitialis ſanatus, corpus à lepra mundatum, crura vlcerum ſanie ſcatentia ſtatim priſtinæ reſtituta valetudini, cæcoque lux reddita. Poterant hæc cæleſtem B. Andreæ partam felicitatem præmonſtrare: ſed certiorem de ea facile eſt concipere notitiam. Nam Dei mater Virgo famulo ſuo, integerrimè vita peracta, paucos dies

antequam decederet, in ſomnis apparens, perennem beatarum mentium voluit gloriam prænunciare. Cæterùm, cùm Sancta Tereſia fœminis exemplar virtutum, è Beatiſſimę Virginis Carmelitano Inſtituto propoſita ſit; ſi templis, & aris colatur B. Andreas, habebunt etiam viri generatim, quem inuocent, & imitentur. Nec quiſquam, licèt perditiſſimis imbutus moribus, ſalutaris immutationis priuabitur ſpe: nam & ipſe è lupo in agnum conuerſus, ac tandem Paſtor effectus, egregiè Paſtorali functus eſt munere; cuius optimè adminiſtrandi ſpecimen petere poterunt Epiſcopi; & hinc præcipuè qui fortiter onus Epiſcopale ſuſtinēt, ſolicitudinum, & perturbationum quibus premuntur, ſingulare ſolamen accipere. Denique de tutelari præſidio Beati Andreæ, in quo ſe gloriaturam Dei Mater aſſeruit, cur gloriari poſſe non ſperet Mater Eccleſia, cùm ſit aliàs illum aduerſus hoſtiles acies propitium Apoſtolicæ Sedis experta propugnatorem?

Vtrum igitur Beato Antiſtiti Andreæ, qui dudum in Cœlo, Dei fruitur aſpectu, San-

ctorum titulos in terris, & venerationem ritè decernamus, deliberandum eſt. In re tam graui, Venerabiles Fratres, dicite quid ſentiatis: nihil enim vobis inconſultis ſtatuere volumus.





Digitized by Google

# SVFFRAGIA
## S.R.E. CARDINALIVM.

## Cardinales Epiſcopi.

### OCTAVII EPISCOPI OSTIENSIS Cardinalis BANDINI.

VIXIT in hoc ſæculo ante trecentos fere annos Andreas Corſinus Florentinus ita ſobriè, ita iuſtè, ita piè, vt beatam illã ſpem, quam expectabat, ac diuinam gloriam aſſecutus meritò credendus ſit. Sobrietatem vt coleret, & frænum ſuis cupiditatibus imponeret, ad Carmelitanorum conſortium confugit, vt procul eſſet à mundi illecebris. Vt iuſtitiam, & charitatem in proximos profuſiùs, ac promptiùs exerceret, poſt longam recuſationem, Epiſcopatum Feſulanum renuere non eſt auſus. Quàm piè ac religio-

sè erga Deum ſe geſſerit, clariſſimè oſtendunt ſigna, ſupra humanam conditionem, eius precibus ac meritis, publicè, ac omnibus admirantibus conſpecta; præſertim in ſubita cœci illuminatione; in paruo pane, ad multorũ ſaturitatem ſuperfluenter multiplicato; in reſtituta ægrotantium deſperata valetudine, atque alijs innumeris miraculorum prodigijs. Quòd ſi talibus virtutibus, vt docuit Apoſtolus, omnem Chriſtianæ vitæ diſciplinam complexus eſt; quis dubitare poterit, tantum Dei famulum regnare iam in cælis; atque adeo, vt in Sanctorum numerum referatur, ſi Sanctitas Veſtra idem ſenſerit, non eſſe amplius diſferendum? Cedet iſta declaratio in maximum bonum Chriſtiani populi à Deo Sanctitati Veſtræ commiſſi, qui in ſuis opportunitatibus, ac vitæ periculis, nouũ habebit interceſſorem ac patronum in cælis. Cedet in Vrbani Pont. Max. æternam gloriam, qui Ciuem ſuum, ac ipſammet Patriam, diuino afflante ſpiritu, omnium honorum maximo ſublimare voluerit. Cedet in antiquiſſimæ, ac patritiæ Familiæ Corſinæ

ſplen-

ſplendorem, quæ cùm mihi arcta neceſſitudine coniuncta ſit, ſuadet ac exigit, vt tam ſuo, quàm meo nomine, tanti beneficij monumentum ſemper colendum, & publicè, & priuatim profitear.

## ANDREÆ EPISCOPI PRÆNESTINI Cardinalis PERETTI.

PRæclaræ B. Andreæ Corſini virtutes, & admirabilia, quæ Deus eodem intercedente, operari dignatus eſt, eximiam viri ſanctitatem, & ſummã Dei in illum beneuolentiam mirè teſtantur. Nam præferuidæ adoleſcentiæ motus ab eo cohibiti, ne aliquam eius pudicitiæ notam inurerent, ſuſceptum arctioris vitæ inſtitutũ, pœnis vltro irrogatis corpus edomitum, & ille omnium virtutum comitatu inſtructus charitatis ardor in Deum, velut quidam clariſſimi eximiæ eius ſanctitatis radij præfulgent. Præterea redditus, eius patrocinio, cæcis viſus, multæ res prædictæ in poſterum tem-

pus, & Florentina Ciuitas ab eo ſeruata, validiſſimus hoſtium exercitus, ipſo propugnante, ad internecionem deletus, aliaque id genus multa; quid aliud ſignificant, niſi illum arctiſſimo beneuolentiæ vinculo fuiſſe cum Deo coniunctum? Quo fit vt dignum eum exiſtimem, quem Sanctitas Veſtra Sanctis perpetuò cum Deo regnaturis adſcribat, omniumque fidelium cœtus in huius vitæ malis ſibi apud Deum patronum adſciſcat.

## DOMINICI EPISCOPI TVSCVLAN. Cardinalis GYMNASII.

Ecce, Beatiſſime Pater, quomodo ex eodem fonte diuerſæ oriantur aquę; ex eodem corde pœnæ debeantur, & præmia. Dum enim Andreas iuuenis, & diues eſſet, & cor in ramorum vmbra arboris diuitiarum poſitum, elatumque haberet, ad ima deſcendit, quia peccauit: Sed poſtquam qui ſedebat in regione vmbræ mortis, lux

orta eſt ei, in ſe reuerſus, ad radicem arboris reſpiciens, humilis factus, inter humiles receptus, humilia ſemper reſpiciens, & in humilibus ſe exercens, altiora ſe videre, & audire meruit à voce illa diuina è Cælis emiſſa, ANDREAS SERVVS DEI ELECTVS. Inter Sanctos ergo, & Dei electos humilem Seruum poſitum eſſe, in vita, & poſt mortem miracula enarrata demonſtrant. Hunc ergo, quem inter Sanctos ſedem habere dicimus in Cælis, cur & inter Sanctos reputandum eſſe, & inuocandum in terris non dixerimus? Propterea ſum in voto, per Sanctitatem Veſtram ad vlteriora procedendum eſſe.

## CAROLI EMMANVELIS EPISCOPI Albaneñ Cardinalis PII.

SApienter, vt cætera, Sanctitas Veſtra in decernendo mortalibus cultu, qui Cælitibus debetur, præter alia etiam ab antiquitate, quæ omnia demum aperit, te-

ſtimonium ſanctitatis expectare conſueuit. Hunc morem tenuit in Luſitaniæ Regina Eliſabetha: eundem nunc ſeruat in Andrea Feſularum Antiſtite. quorum vterque eodem omnino tempore non magis vita, quàm virtutibus florentes, per annos fere trecentos extenderunt ad hunc vſque diem ſanctimoniæ famam: quam profectò magnam eſſe ac robuſtam oportet, cùm iam plurium ſæculorum tulerit ætatem. Vti enim ex corporibus diu incorruptis, ita ex diuturnitate famæ, quæ nullam ſenſerit corruptionem, elici poteſt ſanctitatis indicium. Debetur hoc etiam Sanctitati Veſtræ, quæ in grauiſſimo omnium negocio, ita Sanctorum cultum ſpectat, vt cultorum fructum non omittat. Eugenium Quartum Pontificem Maximum, & cum eo Cardinalium complures, Florentiæ tutatus eſt B. Andreas Corſinus: non deſeret nunc idem Beatus Antiſtes, publicis Eccleſiæ votis, & honoribus prouocatus, illud patrocinium, quod tunc paucorũ precibus liberaliter attribuit. Itaque cenſeo non ſolum B. Andream vitæ ſanctitate, virtutum excellentia, & miracu-

lorum præſtantia inſignem, in Sanctorum numerum referendum; ſed etiam agendas Sanctitati Veſtræ gratias, quòd talem huic ſanctæ Sedi, & ſacro noſtro Collegio Patronum adoptet.

## Cardinales Presbyteri.

### SCIPIONIS S. R. E. CARDINALIS BVRGHESII tit. S. Chryſogoni Maioris Pœnitentiarij.

ANDREAM Corſinum, Beatiſſime Pater, dignum cenſeo, cui à Sanctitate Veſtra, Sanctorum veneratio decernatur. Mitto eius ortum diuinis oraculis propè ſingularem, vitam ſanctiſſimè actam, ac geſta miraculis planè clariſſima. Mouet me, quod in eius laudibus proprium eſt, & in quo fermè ſunt omnia. Si etenim qui Chriſtum Agnum

quò ierit, ſequitur, habere aliam nequit metam, niſi felicitatis; ſanè magna acceſſione gloriæ Andreas apicem ſuæ beatitatis cumulauit, qui vt ſua, cum cæleſtis Agni præeuntis veſtigijs exæquaret, admirabili Dei prodigio, velut alter Paulus, è lupo factus eſt agnus.

## IOANNIS GARSIÆ TITVLI S. Laurentij in Lucina Cardinalis MILLINI.

EA ſunt, *quæ* dicenda mihi eſſent de Beati Andreæ Corſini ſacerdotis Carmelitani & Epiſcopi Feſulani, patria, familia, moribus, ſanctitate, miraculis, & virtutum omnium concurſu florentiſſimo; vt ſilentio potius ſuſpicienda, quàm verbis exprimenda exiſtimem, nunquam ſatis pro rei dignitate facturus. Cùmque omnia ex Proceſſibus rite & iuxta Canonicas ſanctiones confectis, per Rotæ Auditores primùm, deinde in Sacra



Digitized by Google

Rituum Congregatione accuratè expenſis, & approbatis, exactè probentur; cenſeo tantam virtutum illius affluentiam, tamque præclaram, & conſtantem eius ſanctitatis famam per tria fere ſæcula vſque in hanc diem perductam, nullum dubitationis locum Sanctitati Veſtræ relinquere, quin illi meritos ſanctitatis honores decernat, eumque vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ venerandum proponat.

## MARCELLI TIT. S. PRAXEDIS Cardinalis LANTES.

AD ſingularem B. Andreæ commendationem & laudem illud in primis pertinere exiſtimo, quòd inter Carmelitas religioſiſſimi Viri ſpecimen edidit, inter Epiſcopos abſolutiſſimi Præſulis ſimulacrum expreſſit. Porrò æquè paſtorali ſolicitudine, ac certis adſtricta legibus pietate, veluti alis, in Cælum euectus, publicis Aris iampridem Pontificio

decreto augeri debuit. Id autem quamquam potiore fere ex parte Eugenius IV. ducentis propè ab hinc annis præſtitiſſe eſt viſus, cùm Florentiæ in eius venerationem ſacra Deo fieri permiſit: vt tamen Veſtra Sanctitas ad Eccleſiæ catholicæ ſolatium & diſciplinæ Eccleſiaſticæ incrementum cumulatiſſimè præſtaret, Eidem diuino planè Numine reſeruatum animaduertimus, & gratulamur. Quare B. Andreas Corſinus adſcriptus Chriſtianis faſtis auctoritate iſta in terris maxima, rem optatiſſimam nos ſperare iubet: vt quemadmodum olim Vrbani V. nutu domeſtica Bononienſium diſſidia feliciſſimè compoſuit; *ita* nunc Vrbani VIII. rogatu æternæ pacis fœdus & concordiam inter diſſidentes Ciſalpini tractus populos conciliet.



Digitized by Google

## ALOYSII TITVLI S. PETRI ad Vincula Card. CAPPONII.

QVos habuerit auctores, quaue ſub-orta de ſtirpe ſit B. Andreæ Corſini ſanctitas, abundè cognouimus, cùm ipſum à Deipara Virgine, hoc eſt, à genitrice ſanctitatis, velut initiatum audiuimus ea voce: SERVVS MEVS ES TV: & à Deo integritatis omnis, & iuſtitiæ fonte, qui linguas infantium facit diſertas, ex ore pueri oraculo prolato, rerum ſacrarum Antiſtitem delectum percepimus. Iamdiu ergo diuinis potitur honoribus, qui diuinis olim vocibus renuntiatus eſt Sanctus; habuiſſetque iam ab orbe terrarum, ſi minus pares, certè ſolemnes ac ſtatos, niſi expectandum fuiſſet, quid ex Romani Pontificis ore loqueretur Eccleſia. At pridem ſanè loqui potuiſſet, & comprobare quæ rata iam erant in cælo: ſed comperendinandum fuit, atque ad hæc vſque tempora iudicium proferendum, quibus Te Pontifice vnà cum ſæculi felicitate aptè, congruenterque ipſe

etiam in Chriſtianis faſtis augetur numerus Beatorum. Ego igitur, quoniam ex veteri more, iuſſuque Sanctitatis Veſtræ dicenda ſententia eſt, ita cenſeo, Beatiſſime Pater, eam gloriæ meſſem, quam in Seruo ſuo Cæli Regina futuram prædixit, maturo iam tempore colligendam eſſe; ipſumque Beatum Andream inter cælites agentem, ex Chriſtianæ reipublicæ ritu, mortalium quoque ſuffragio conſecrandum.

## GASPARIS TIT. S. CRVCIS in Hieruſalem Card. BORGIAE.

SI candori vitæ, ſi morum integritati, ſi egregijs virtutibus, ſi heroicæ ſanctitati ara debetur, & religioſus cultus; meritò B. Andreas Hetruſcæ gentis gloria, triumphanti Cælitum numero adſcribetur, coleturque veneratione publica, cuius inclyta virtus tot miraculis innotuit orbi.

## ROBERTI TITVLI S. ALEXII Cardinalis VBALDINI.

BEatum Andream Corſinum Epiſcopum Feſulanum in Sanctorum numerum referri, & pia, miraque geſta, & trium ſæculorum conſenſus, & legitima documenta iure ſuadent: poſtulant Summi Principes, religioſiſſimus Ordo, nobiliſſima gens, florentiſſima Patria: quam fæcundam virtutis parentem geminata lætitia exultare iam liceat, in duobus clariſſimis filijs benedictam, dum alterum in terris Chriſti vices gerentem adoret, & & hoc reuelante agnoſcat & alterum in cælo triumphantem. Exigit & hoc ipſum temporis ratio, adeo vt eandem Dei prouidentiam, quam Sanctitas Veſtra in Andreæ geſtis pontificiæ mentis lumine contemplata, diuinæ prope eloquentiæ penicillo modò nobis expreſsit; eandem, inquam, Dei prouidentiam in decernendis nunc Beato Antiſtiti cæleſtibus honoribus agnoſcere poſsimus, & admirari. Rem enim ætate

noſtra apud Prædeceſſores Veſtros ſæpius agitatam, diuinò planè conſilio huic tempori reſeruatam ominari iam licet; vt ſanctiſsimus hic Confeſſor, & Pontifex, qui toties Ciuibus ſuis, & finitimis populis in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, idem nunc Catholicæ Eccleſiæ voce, clamore valido inuocatus, Italiæ laboranti opem ferat, iram Dei auertat, pacatamque reddat, & tueatur.

## TIBERII TITVLI S. PRISCÆ Cardinalis MVTI.

VIrtutes eximiæ, vitæ ſanctitas, miraculorum claritas, tot annorum ſerie continuatæ populorum acclamationi coniunctæ, in B. Andrea Corſino parentum precibus à Deo impetrato, eique ante ortum dicato, modo tam eminenti refulgent, vt meritò Sanctitatem Veſtram, pijs etiam Principum, & Religionis Carmelitarum votis, cui ſe addixit, annuendo, ad ſolemnem ipſius Canonizationem deuenire poſſe cenſeam.

## IVLII TITVLI S. SABINÆ Cardinalis SABELLI.

AB eo iam decurſu temporis, ex quo B. Andreas Corſinus, quaſi alter Paulus, è lupo agnus eſt effectus, afflictatione corporis, rerum humanarum deſpicientia, & cæleſtium bonorum inquiſitione percupida, deuios ſenſus ab impuris huius ſæculi cogitationibus ſeiunxit; vigilijs, oratione, & ieiunio, trina veluti cuſpide communitus, teterrimum hoſtem profligauit, & diuini muneris vberrimam elargitionem ſibi promeruit. Itaque cùm præclariſsimi huius Viri honeſtiſsimæ per tot annorum ſeriem vitæ rationem, cùm tam frequentia, tam inaudita miracula mecum ipſe perpendo; hoc vnum animo concipio votum, vt eundem dignum, qui à Sanctitate Veſtra in Sanctorum numerum conſcribatur, non hæſitanti opinione cenſeam. Quod quidem decus, ſupra quam exiſtimari poteſt præſtantiſsimum, licèt innumeræ ipſius virtutes iamdiu efflagitare vi-

deantur, illa tamen, quæ Summorum Principum animis inſita eſt, beneficij accepti gratiſſima recordatio, illa inquam, ſuo quodam iure nunc exigit, vt Beatus Andreas Corſinus à ſummo, & gratiſſimo Pontifice Diuinitatis nomine donetur, qui olim armato patrocinio Romanum Pontificem diuinitus ab hoſtium impetu ſeruauit incolumem. cuius cæleſtis tutelæ ponderationem, etſi credibile eſt tanti apud Sanctitatem Veſtram ineſſe momenti, vt ex voto ſanciendum eſſe decretum ſibi facile perſuadeat; id eò magis eidem perſuaſum eſſe velim, quòd ex Beati Andreæ Corſini radiato capite, non exiguum & Religioni ſplendorem, & quammaximum Chriſtianæ Reipub. ornamentum acceſſurum fore confido.

## GVIDONIS TITVLI S. MARIÆ de Populo Cardinalis BENTIVOLI.

EX ijs quæ relata ſunt de B. Andreæ Corſini vita, & miraculis, facilè apparet illum potius vitam cæleleſtem, quàm humanam in terris egiſſe. Nactus eſt hanc lucem mortalem peculiari Beatiſſimæ Virginis dono. In Carmelitana porrò familia, cui adoleſcens nomen dedit, quid illo humilius, quid innocentius, quid ad perfectiſſimum exemplar omnium virtutum præclarius? Feſulanæ autem Eccleſiæ Præſul factus, non Præſul, ſed populi ſibi crediti potius parens optimus & ſanctiſſimus fuit. Iam verò poſt mortem adeo nomen eius vbique ob tot illuſtria miracula inclaruit, vt exinde veriùs cœpiſſe viuere, quàm deſijſſe, exiſtimandum ſit. Quapropter cùm ea, quæ expoſita ſunt de præcellentibus tanti Viri meritis atque virtutibus, ritè probata ſint, cenſeo Sanctitatem Veſtram illi cæleſtes honores liberaliter poſſe decernere.

# DESIDERII TIT. S. CAROLI Cardinalis SCAGLIAE.

COngruenter huic tempori, quo paſchalis Agnus immolatur, de eius honoribus agitur, qui ex lupo agnus effectus, poſtquam in Carmeli vertice ad virtutum omnium paſcua aliquandiu conſedit, maturus ad aram, ita quotidie ſacrificium peragebat, vt ſimul ipſe ſe Deo immolaret, ac cæſa victima ipſemet eſſet; dum corpus attenuatum ieiunio, confectum vigilijs, ferrea catena diſcerptum, immiti flagello ſub finem ſacrificij cruentaret. Dignus profectò, quem cæleſtis in meditatione exardeſcens ignis totum abſumeret in Deum, totum in proximorum ſalutem creſcente incendio deriuaret. Dignus, qui nouo miraculo ex agno, agnorum Paſtor efficeretur, diuina ita diſponente prouidentia; vt qui lupum exuerat factus agnus, lupos ab agnis ſibi creditis, Paſtor effectus, arceret. Dignus denique, qui ad Thronum Agni euocatus, ab Angelorum

Regina acciperet, quam illa hominibus texuit ex Agni vellere, ſtolam immortalitatis. Id vnum B. Andreæ reſtat ad cumulum gloriæ: vt quem nos, æſtimata Viri ſanctitate, virtutibus, ac miraculis, dignum Sanctorum honoribus iudicamus, Sanctitas Veſtra, cui abſcondita ab oculis hominum reuelat luminum Pater, oraculo nunquam fallente decernat. Erit hoc vt Beato Antiſtiti glorioſum, ſic ſalutare nobis, quibus ille pacis olim inter homines ſequeſter, nunc è cælo Patronus, concordiam & tranquillitatem hiſce temporibus opportunam impetrabit.

## COSMI TIT. S. PANCRATII Cardinalis de TORRES.

BEatum Andream Corſinum Præſulem Feſulanum, Beatiſſime Pater, Sãctorum numero adſcribi vti maximè decet, ita maximè placet. Debebatur iampridem ſupremus ille honos præcel-

lentibus meritis, & virtutibus huius beatiſſimi Viri, qui ob eximiam & ſanctimoniam & ſapientiam, duorum præſtantiſſimorum ordinum, regularis videlicet, & Epiſcopalis, clariſſimum lumen extiterat. Sed diuina prouidentia ad hæc vſque tempora reſeruauit, vt non minor eſſet Pontificis illius Conciuis, qui adſcribit, lætitia, quàm Antiſtitis, qui in cælo adſcribitur, gloria.

## FR. ANTONII TIT. S. HONVFRII Cardinalis BARBERINI.

ARcana quadã cæleſtis muneris præmonitione, Beati Andreæ Corſini ſanctitas eximia videtur indicata fuiſſe, vel ex ipſo nomine, quod ex græco idiomate deductum *fortitudinem* ſignificat. Fuit enim athleta Chriſti, fortis in bello cõtra antiquum ſerpentem; & in hoc vitæ curriculo bonum certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, inſtituti re-

ligioſi, & Epiſcopalis vigilantiæ ſe præbens exemplum; ita vt in cælo corona iuſtitiæ coronatus, gloriæ ſempiternæ lumine perfrui pro comperto habeatur. Cùm igitur ſatis ſuperque, præcedentibus legitimis probationibus, de illius ſanctimonia & miraculis conſtet, Patrum, qui ante me dixerunt, ſententiæ me ſubſcribo; vt Sanctitatis Veſtræ decreto in Sanctorum numerum referatur.

## ALOYSII TIT. S. PVDENTIANÆ Cardinalis CAIETANI.

MAximum negotium agitur, Beatiſſime Pater: Cultus enim proponitur publicus, ac debitus ſanctitati honor, B. Andreæ Corſino Epiſcopo Feſulano, inter illos adſcribendo, quos diuinæ altitudo prudentiæ non ſolùm glorificat, ac coronat in cælis, ſed excellentia meritorum, venerationis officio, ſingulari eius prouidentia attollit in terris. Qua ſtudioſa



Digitized by Google

inquiſitione, diuturna examinatione, ac diligenti diſcuſſione, vitæ ſanctitas, ac miraculorum veritas publicis documētis conteſtatæ, ac comprobatæ fuerint, ex proceſſibus, & relationibus apertiſſimè conſtat. Iam ad illius corpus tot venerationis ſigna Eugenius IV. indulſit, iam ab ipſo B. Andreæ obitu, cultæ reliquiæ, nomen imploratum, frequentatum ſepulchrum. Quare Sanctitatem Veſtram nulla interpoſita mora, ſolemni ritu Sanctorum Catalogo B. Andream conſociare poſſe non dubitarem.

## LAVDIVII TITVLI S. SIXTI Cardinalis ZACHIAE.

AEquum omnino eſt, vt B. Andreas Feſulanus Antiſtes, qui tam egregiè Sanctorum eſt imitatus exempla, eorundem quoque debita laboribus, etiam inter homines, præmia conſequatur. Poſtulat hoc à Sanctitate Veſtra eius vita,

quæ Diuino addicta ſeruitio, virtutum omnium luminibus claruit, inconcuſſa fide, ſtabili ſpe, flagrantiſſima in Deum charitate, paſtorali in proximos ſolicitudine, inexhauſta in pauperes beneficentia, magnanimo ſui contemptu, honorum fuga, aſperitate vitæ, eiuſque comite caſtimonia, & numquam violato candore virginitatis. Poſtulant hoc ipſum præclara eius, tum in vita, tum poſt obitum miracula, tanquam Dei ſuffragia de mortalium ſanctitate, ac beatitudine ſententiam pronunciantis. Poſtulat eximia ante annos prope ducentos Florentini Populi veneratio, qui B. Andream diuino impulſu in publica ſupplicatione vti Sanctum inuocauit. Poſtulat Eugenij Quarti Summi Pontificis auctoritas, qui honores Beatis exhiberi ſolitos, eidem liberaliter indulſit: Eodemque tempore complurium Cardinalium iudicium, qui B. Andream, quaſi iam tum inter Cælites relatum affirmare non dubitarunt. Denique idem poſtulare videtur ipſa Cæli Regina, quæ ſicut peculiari patrocinio illum eduxit in lucem, & à luce in tenebras de-

flectentem reduxit; & ne eius violaretur integritas, rara prærogatiua perfecit: ſicut ex lupo in agnum conuertit, atque ad agni paſcua in Carmelum tranſtulit: ſicut de virtute in virtutem euntem perpetuo texit, ac *Seruum* ſuum appellauit, ſeque in illo gloraturam dixit; ita hanc quoque gloriam Seruo, Alumnoque ſuo addi cupit; vt non ſolùm in Cælo immortales, ſed etiam in terris honores, quos mortales præſtare poſſunt, Sanctitatis Veſtræ oraculo cóſequatur. Nihil igitur ſupereſt, Beatiſſime Pater, niſi, vt Sanctitas Veſtra, cui licet vni admouere Cælo mentem, atque inde referre ad nos Diuinitatis arcana, B. Andream in Cælo regnare, eoque cultu, qui Sanctis debetur, venerandum eſſe decernat.

## BERLINGERII TIT. S. AVGVSTINI Cardinalis GYPSII.

BEatum Andream Corſinum, Pater Sanctiſſime, dum præclara vitæ eius momenta perpendo, digniſſimum cenſeo, qui Sanctitatis Veſtræ authoritate Chriſtianæ Militiæ faſtos in terris cumulet, ſicuti iampridem in Cælis cumulauit triumphos. Illum quippè diuinitus à Parentibus impetratum, Cælum ſibi à mundi illecebris iure ſuo repoſcebat, dum is Religioni ſe mancipans, ſumma ſui deſpicientia ſemet Angelis, & hominibus ſuſpiciendum præſtitit, ac pudici animi florem inter ipſos adoleſcentiæ æſtus illibatum ſeruauit, & profuſiſſimæ præbuit exempla charitatis omnibus omnia factus. Qua virtute reliquis præluxit ad Feſulanæ eccleſiæ regimen accerſitus: Idque cùm Infantis præconio firmatum ſciamus, verendum minime eſt, quin Deus voluerit eius laudes ex ore infantis mirabiliter perficere; quemadmodum ad eius preces pauperi luminibus capto, vi-

ſum

ſum reparauit, nouoſque repente panes procreauit; & quod maximè à me laudandum eſt, Andreæ ipſius pietate, & opera, Bononiam diſcordijs, ac ſeditionibus penè obrutam, ſecuræ tranquillitati reſtituit. Hæc, aliaque Beati Viri promerita publicos ab Eccleſia honores ritè expetunt, vt Dei Opt. Max. gloria perinde augeatur, ac diuina Virtus in ſplendoribus Sanctorum elucceſcat: firmamentum enim Virtutis Dei Sancti ſunt, & quaſi muri Hieruſalem in propugnaculum Eccleſiæ.

## FABRITII TIT. S. LAVRENTII in Pane & perna Card. VEROSPII.

BEatum Andream Corſinum, parentum voto ac precibus ortum, necnon Deo, & Deiparæ Virgini oblatum prius, quàm conciperetur, dignum eſſe, vt in Sanctorum numerum referatur, ex vitæ ſanctitate, miraculis, alijſque pluribus optimè diſcuſſis, atque per-

penſis,

penſis, nefas eſſet hodie controuertere. Non tamen ſine Diuino conſilio factum arbitror, vt iſte honor, qui tanto Viro à ducentis annis & vltra debebatur, in hæc vſque tempora dilatus fuerit. Cùm enim præcipua Beati Andreæ virtus, ac ſanctitas in componendis diſſidijs, ſedandiſque controuerſijs potiſſimum enituerit, vnde fuit etiã illius opera vſus Vrbanus Quintus in pacandis Bononienſium Ciuium animis, qui armati iampridem, & in partes diſtracti, magnum imminebat periculum ne Ciuitatem perderent: meritò Sanctitas Veſtra poſt indictas pluries Deo ſupplicationes, & omnem aliam adhibitam diligentiam, vt exiſtentes iam in Italia bellorum faces extinguerentur, ad huius Beati Viri patrocinium cõfugit. qui ſi adhuc in carcere mortalitatis incluſus, diſſidia, contentiones, tumultus pacauit, præſertim ad Vrbani V. Summi Pontificis nutum; quanto magis eſt credendum, quòd liber in Cælis, & ſummo cum applauſu, ac nobiliſſima pompa Sanctorum numero adſcriptus, Sanctiſſimũ D. N. Vrbanum Octauum conciuem ſuum

optimè de ſe meritum exaudiat ? nec ſolùm iuxta ipſius vota impetret à Deo omnimodam præſentium motuum compoſitionem, ſed vlterius, vt ad longum æuum pace tranquilliſſima perfruamur ?

# Cardinales Diaconi.

## HIPPOLYTI SANCTI ANGELI in Foro Piſcium Diaconi Cardinalis ALDOBRANDINI.

MAGNIS de rebus hodie conſulimus, Beatiſſime Pater: an ſcilicet per Sanctitatem Veſtram Beato Andreę Corſino publici Sanctorum honores ſint decernendi. In hac tamen conſultatione nullus mihi reſtat ambigendi locus: in ijs enim quæ de eius vitæ integritate & obitu ex publicis monumentis relata ſunt, omnis ſanctitatis ſpecies, & forma vir-

tutis ita refulget, vt ſi miracula addamus ab eo patrata, nulla animi hæſitatione mirabilem Deum in hoc Beato Viro fuiſſe ſit confitendum. Certa igitur habemus eius beatitudinis argumenta. Vnum autem illud præ omnibus animaduertendum exiſtimo, quòd nos in hanc ſententiam ire non ſolum ſuadet, ſed manu quodammodo ducit. Audiuit B. Andreas ipſam Sanctorum Reginã, & Cæli Imperatricem dicentem ſibi: SERVVS MEVS ES TV, QVONIAM ELEGI TE, IN TE GLORIABOR. In quo autem ipſa Virgo virginum gloriabitur, niſi in optimo? quẽ ſibi ſeruum adſciſcet, niſi Dei ſeruum? quem ſuum Dei matrem elegiſſe exiſtimabimus, niſi Dei nouum filium, certum cæli hæredem, & cohæredem Chriſti? Qui iam ex lupo agnus factus, iam ſcriptus in libro vitæ Agni, iuſtus in morte verba illa ſalutis æternæ erat auditurus: *Euge ſerue bone intra in gaudium Domini tui*. Meritò igitur Sanctitas Veſtra, Beatum Corſinum debita Sanctorum veneratione cumulat, à quo Florentia decorem, Carmelitana familia viuendi exemplum, Epiſcopi boni Paſto-

ris formam, vniuerſalis Eccleſia tutelam, tota denique Chriſtiana Reſpublica, difficillimis præſertim temporibus; ſolidum patrocinium ſibi poterit vendicare.

FRANCISCI S. AGATHÆ
Diac. Cardinalis BARBERINI.

ANdreæ Corſini memoria in compoſitionem odoris facta eſt: etenim à cælo terris mirificè datus, Paradiſi fragrantiam latè diffudit; aſcendens nimirum in deſerta Carmeli, meſſuit myrrham ſeuerioris diſciplinæ cum virtutum aromatibus, quæ manus eius diſtillauerunt. Hinc ad præcelſum collem thuris; hoc eſt ad Epiſcopale munus, inuitus licèt, euehitur; vbi tot illuſtria religionis & probitatis præbuit exempla, vt inde Præſules capiant quod imitentur. Quæ verò beneficia diuinitus in homines contulerit, incorrupta rerum ab eo geſtarum monumenta teſtantur: Auenio præcipuè lucis vſuram

cæco reſtitui vidit; Pacificatorem agnouit Apoſtolica ditio, cùm ad componenda diſſidia Ciuium allegatus, publicam illi reddidit tranquillitatem. Senſit ipſamet patria Liberatorem, dum propulſauit hoſtem tectis & mœnibus imminentem. Illa quidem grata, tunc ab hac ſancta Sede Andreæ deferri cæleſtes honores efflagitauit; at ſupplices deinde Chriſtiani populi preces aſſiduas addiderunt. Hæc igitur tangent, opinor, animum Sanctitatis Veſtræ, vt decernat, ius faſque eſſe Andream Corſinum Sanctum dici, ſacroque ritu coli. Sic geſtiet Orbis Chriſtianus, & Patria rectè concinet: *Flores apparuerunt in terra noſtra.*

## HIERONYMI SS. QVATVOR Coronatorum Diac. Cardinalis VIDONI.

QVæ res communi ſuffragio in homine requiruntur, vt in cælum adſcribatur, illæ omnes in B. Andrea Corſino præcellenter micuerũt, Beatiſſime

Pater. Si quæritur innocentia vitæ, ex lupo agnus, & virgo: ſi virtutum exercitatio, ſpirans eorundem templum fuit: ſi bonorum operum, theſaurus longè ditiſſimus: ſi miraculorum authoritas, alter fere Thaumaturgus. Huius Beati Viri ſepulcrum cùm ducentos ante annos Florentinus populus præſentibus Cardinalibus veneraretur, repente conclamauit: S. ANDREA ORA PRO NOBIS. Quid mirum, ſi nunc, dum huius animæ pulchritudinem hoc ſacrum Purpuratorum Collegium mente intuetur, eundem in Sanctorum numerum adſcribi vehementiùs rogat?

## LÆLII SS. VITI ET MODESTI Diac. Cardinalis BISCIAE.

A Deo mirabilia operatus eſt Deus in hoc Sancto ſuo, Pater Beatiſſime, vt ſine vlla hæſitatione declarandus videatur cum Chriſto in Cælis regnare: idemque neceſſario Sanctitatis Veſtræ de-

creto proponi debeat in Eccleſia publicè colendus & inuocandus, vt miſericordiam Domini conſequamur per illum, quem Beatiſſima Virgo ſterilibus parentibus impetrauit. Et qui, cùm natus eſſet mundi huius obnoxius illecebris, iuſtificatus eſt à Domino; ductus in viam rectam, & factus decor Carmeli, creatuſque Epiſcopus, ſciuit aliorum infirmitatibus compati, & ſe ipſum in carne mortificando potuit alios Chriſto lucrifacere. Superaddidit etiam illi Deus ſpiritum virtutum prophetiæ, & ſanitatum: Quia deſperatos multorum languores curauit: cæco lumen reſtituit: panes multiplicauit: diſſidentes Florentinorum animos (oſtenſo de cælo ſigno) conciliauit. quæ omnia cùm in digito Dei operaretur, dextera Excelſi credita eſt eſſe cum illo. Horam denique ſuæ dormitionis præcognouit, & ad cæleſtem patriam tranſlatus, miraculorum frequentia in dies magis ac magis clarificatur à Domino, qui ad eius memoriam viuētium ſanat ægritudines: vt ſperare poſſimus, per hunc, qui Patri miſericordiarū placuit, & inimicorum agmina



Digitized by Google

Patriæ minitantia profligauit; fore vt nos etiam ab imminentibus periculis & neceſſitatibus eripiamur.

## MARTII S. MARIÆ NOVÆ Diac. Cardinalis GINETTI.

ARdua verſamur in cauſa, Beatiſſime Pater, omniumque fortaſſe difficillima, & maxima. Quis enim de Cæleſtibus facilè decernat, cùm ea, quæ ſub aſpectum cadunt, penitus introſpicere non poſſimus? Cæterùm de B. Andreæ Corſini diuinis promeritis ambigendi locus ereptus eſt, cùm ex ijs, quæ certo iudicio ſunt explorata, quæque à Veſtra Beatitudine relata iam ſunt, clariſſimè huius Viri ſanctitas eluceſcat, qui ad ſingularem diuinæ gratiæ cumulum, antequam naſceretur, eſt deſtinatus, & delectus à Deo. Ad Carmelitanum Ordinem cæleſtibus inuitatus oraculis, religioſæ perfectionis apicem tenuit: exinde ſacris initiatus, inter pri-

mitias ſingulare teſtimonium accepit innocentiæ ſuæ. Nam quis vnquam inter litandum à Deipara Virgine hoc eſt ornatus elogio: SERVVS MEVS ES TV? In Epiſcopatu, ad quem pertractus eſt vi, & è latibulis ſuis diuinitus euocatus, exemplum ſe præbuit bonorum operum, & in ſingularum virtutum officijs humano pene faſtigio maior apparuit. Illi zelus animarum eximius, de credita ſibi Eccleſia ſolicitudo quædam irrequieta; erga Deum, hominesque perfecta charitas, profuſa liberalitas in egenos, dexteritas, & prudentia pene diuina; ſtudium paupertatis, & humilitatis ardentiſſimum, religioſiſſima pietas, pudicitiæ flos illibatus, aliaque illi fuere virtutum genera complura; per quæ tanquam per eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtipendia laudabiliter acta, de ſui exitus die diuino nuncio ad extremum admonitus, gratiæ, meritorumque pleniſſimus euolauit in cælum, vt beatiſſimus finis præclaro ſanctitatis initio reſponderet. Quæ omnia, quoniam & perſpicuis confirmata miraculis ſunt, & ex veteri Chriſtianæ Reipublicæ ritu, ſacriſque

ſanctionibus in multiplicem cõſultationem ſæpe deducta, Veſtræque Beatitudinis ſapientiſſimo iudicio comprobata; iure merito Andreas Corſinus Antiſtes, communi omnium opinione ac voce iamdudum Sanctus habitus, & prædicatus, referri debet inter Cælites; & Sanctus, diuino afflante Spiritu, à Sanctitate Veſtra pronunciari.

ALEXANDRI S. MARIÆ in Dominica Diac. Cardinalis CAESARINI.

SOl Iuſtitiæ Deus noſter, cuius veſtimentum eſt gloria Sanctorum, ex eorum ſplendoribus magis fulget, quando ſuſcipit ſplendoris incremẽta: Sancta Mater Eccleſia, dũ filios lucis beata fœcunditate parit, verè vitis abundans in lateribus domus Domini, non ſterileſcit. Ad augendã igitur Dei gloriam, & Eccleſię decus, meritò Sanctitas Veſtra cenſet B. Andreæ Corſino imponere Coronam auream ex-

preſſam

preſſam ſigno ſanctitatis, gloriæ, & honoris: nam inuentus eſt ſine macula, functus eſt Sacerdotio magno, placens Deo habuit laudem; & qui viuens in tempore iracundiæ factus fuit reconciliatio, nunc quaſi arcus refulgens, Eccleſiæ eum clarificantis ſemper tempeſtates ſerenabit.

## ANTONII S. MARIÆ IN AQVIRO Diac. Cardinalis BARBERINI.

EXimia doctrina, profunda humilitate, præcellenti charitate, exacta clauſtralis Inſtituti obſeruantia, conſpicua paſtoralis curæ ſolicitudine, cæteriſque heroicis Chriſtianæ Religionis virtutibus adeo fulget ornatus, & præclaris miraculis inſignitus B. Andreas Corſinus, vt maximum omnibus admirationis, & imitationis incitamentum præbeat. Meritò igitur videtur poſſe illi à Sanctitate Veſtra Sanctorum veneratio decerni; vt cuius laudem narrant populi, eiuſdem gloriam nunciet Eccleſia.



Digitized by Google

# HIERONYMI S. AGNETIS in Agone Diaconi Cardinalis COLVMNAE.

CVm B. Andream Corſinum illibata pudicitia, honoris contemptus, Deiparæ Virginis tutela, ad hæc virtutum omnium complexio cum miraculorum laude coniuncta, inter beatos cæleſtis Hieruſalem Ciues enitere teſtentur: par eſt, Beatiſſime Pater, eum ſacroſanctis cultum cæremonijs, viuæ Tuæ vocis oraculo ſolemnibus Confeſſorum annalibus adnotari.



Digitized by Google

# SVFFRAGIA
## PATRIARCHARVM, ARCHIEPISCOPORVM ET EPISCOPORVM.

### ALEXANDRI PATRIARCHÆ Alexandrini, & Archiepiſcopi Beneuentani Aſsiſtentis.

TAM multa ſunt, quæ de B. Andreæ Corſini vitæ ſanctitate, ſapientia, ac rebus diuinitus geſtis hìc hactenus fuere enumerata, vt, quando pari orationis genere minus exornari poſſunt, in memoria ſaltem continenter, atque in omnem æternitatem hærere debeant. Quod aptiſſimè fiet, ſi Veſtra Sanctitas ipſum in eorum claſſem referat, qui aſſidua Chriſtiani populi inuocatione, certoque terrarum patrocinio, magni gratia-

rum,

rum, vel præſides, vel adminiſtri apud Deum habentur. Id verò vt Sanctitas Veſtra quamprimum præſtet, & enixè rogo, ac demiſsè precor.

## ATTILII AMALTHEI ARCHIEPIſcopi Athenarum Aſſiſtentis.

IN relatione coram Sanctitate Veſtra, & Sacro Cardinalium Collegio in Conſiſtorio ſecreto nuper habita, de vita, & ſanctitate B. Andreæ, Carmelitani Ordinis primum alumni, deinde Feſulanæ Eccleſiæ Antiſtitis, eminentes & ſolidæ Chriſtianæ virtutes, necnon præclara & grandia miracula, meritis & interceſſione ipſius, tam in morte, quàm in vita edita, non minus ordinata quàm perſpicua narratione continentur: eaque omnia tanto teſtium fidedignorũ numero probata ſunt, vt neminem futurum arbitrer, qui certo ſibi non perſuadeat, eundem B. Andream digniſſimum eſſe, qui honorificentiſſimo

Cano-

Canonizationis teſtimonio à Sanctitate Veſtra, cuius ſolius eſt homines in Sanctorum numerum referre, confidenter & benignè decoretur & illuſtretur: vt ea ratione, cui à ducentis quinquaginta & pluribus annis, tum in Vrbe Florentiæ patria ſua, tum in pluribus Hetruriæ locis, honores, qui Sanctis in Cælo cum Chriſto regnantibus deferri conſueuerunt, hactenus delati ſunt, & in dies deferuntur; in poſterum in vniuerſa Orthodoxa Eccleſia militante poſſint, & debeant ab omnibus, pio ac deuoto cultu deferri & præſtari.

## OCTAVII BENINI ARCHIEPISCOPI Andrinopolitani Aſſiſtentis.

INſignia, & admirabilia ſunt, quæ de Beati Andreæ vita & miraculis, celebri & communi omnium conſenſu, & multorum etiam experientia, & Sanctitatis Veſtræ relatione ſunt comprobata: & benedictus ſit Deus, qui in nouiſ-

ſimis

ſimis etiam diebus in Seruo ſuo conſolatus eſt Eccleſiam ſuam. Fuit enim B. Andreas lucerna ardens poſita ſuper candelabrum Feſulanæ, imò potius totius Catholicæ Eccleſiæ: qui in carne hac ſine carne, in terra ſine terra mirabiliter vixit, abnegans ſæcularia deſideria, excellens miraculorum gloria in vita, & poſt mortem; pollebat enim excellenti fide, inſigni pietate, charitate feruenti, admirabilem in dignitate humilitatem oſtendens. *Quapropter ingentem Sanctitatis Veſtræ* prudétiam omnibus notiſsimam, mihi autem diu probatam, verè à ſancto Spiritu ſemper aſſociatam, ſed in hac potiſsimum deliberatione de Beato viro in Sanctorum catalogum adſcribendo, laudabilem eſſe omnis creatura fatetur: cui Canonizationis decreto, ego quoque hum
mus ſeruus libentiſsimè ſubſcribo:
Florentinam Progeniem, qui
ſam Chriſtianorum Rem
citer obligatam ad i
dendas: quia Sanc
ctuoſa multipl
quorum ſuf

ius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, dies noſtros in ſua pace diſponat, atque ab æterna damnatione eripiat.

## PAVLI DE CVRTE OLIM EPISCOPI Æſernieñ Aſsiſtentis.

QVæ de B. Andreæ Corſini vita, ac miraculis propoſuit Sanctitas Veſtra, tam [illegible] clara, tamque inſignia
ſunt, vt i [illegible] er hic S. R. E. Sena-
tus par [illegible] cæl [illegible] honori-
bus o [illegible] it [illegible] . cuius
ego [illegible] ve [illegible] ſequor,
[illegible] c [illegible] iam eſſe
[illegible] cæteris ad-
[illegible] ommunem
[illegible] ſanctitate
[illegible] oſt annos fere
[illegible] m tempus non
[illegible] mminuerit, ſed
[illegible] nſtantia auctam
[illegible] duxerit. Nec ſine

Diuino conſilio factum exiſtimo, vt inchoatos iam diuinos honores auguſtiore pompa de manu tua, nunc abſolutos reciperet B. Andreas: nam & ipſe viciſſim in horum temporum neceſsitatibus, ampliore vtique, at ſuauiore patrocinio conſilijs tuis aderit, quàm Eugenio Pontifici, Patriæque Florentiæ legitur adfuiſſe. Non enim cruento prælio, & aduerſariorum internecione (ſicut illos tunc ſeruauit incolumes) hæc, quæ modò quieſcunt, modò reſurgunt, mala propellet; ſed ſuis ad Deum precibus conciliatorem Te Chriſtianorum Principum impetrabit: vt ſic veræ, ac ſolidæ pacis artibus non vni tantum Ciuitati, ſed toti diu iam laboranti ſuccurras Italiæ; ſedatiſque prorſus in ea bellorum tumultibus, Tua ſingulari pietate, ac ſapientia conuerſis armis in Chriſtiani nominis hoſtes, & Orthodoxæ fidei deſertores, fideles populi aliquando reſpirent. Aderit iuſtis conatibus Tuis ſacerdos iſte magnus à Te honoribus cumulatus: & quia in diebus ſuis Deo placere ſtuduit, factus iam illi placens, ac dilectus, obtinebit omnino, vt in tempore iracundiæ

San-

Sanctitas Veſtra lapis angularis, & reconciliatio ſit Populo Dei omnipotentis.

## PETRI FRANCISCI MONTORII olim Epiſcopi Neocaſtreñ. Aſsiſtentis.

DIgnum ſanè ſumma veſtra ſapientia ac prudentia arbitror, Beatiſsime Pater, quòd in animum induxerit B. Andream Corſinum in Sanctorum numerum referre. Exemplum enim proponet Veſtra Sanctitas noſtro Epiſcoporum Choro, quod aſsiduè imitari contendat; quemadmodum ſanctimoniæ ſpecimen habituri ſunt præ oculis, qui ſe dicatis Deo familijs addixere. Vt igitur publicæ religionis cultum Beato Præſuli Veſtra Sanctitas quamceleriter decernat, Epiſcoporum & Religioſorum Ordines humillimè depoſcunt.

ERASMI PARAVICINI EPISCOPI
Alexandrini Aſsiſtentis.

ADeò præclara ſunt, Beatiſsime Pater, quæ in Seruo Dei Andrea Corſino enituerunt omnimodæ virtutis, ac veræ ſanctimoniæ lumina, vt ſicuti vitæ ſuæ Patronam Deiparam Virginem habere, ab eaque deſignato mortis die, cæleſtis gloriæ immortalitatem ſibi polliceri ille promeruit; Ita dignus optimo iure videatur, qui Sanctitatis Veſtræ decreto Sanctorum numero adſcriptus, hoc quoque in terris cultu, nouo gloriæ incremento cumuletur.

IOANNIS BAPTISTÆ RINVCCINI
Archiepiſcopi Firmani.

CAeleſtes honores, Beatiſsime Pater, vendicare ſibi iam diu videbatur B. Andreas Epiſcopus Feſulanus, qui præter innumeras virtutes, ſacro præci-

puè Epiſcoporum ordini, tam in ſuſcipiendo, quàm in obeundo munere ſuo, nouum extitit Pontificiæ dignitatis exemplar. Sed hoc quàm iuſtè Sanctitas Veſtra, tam etiam opportunè præſtat hoc tempore erga virum pacis ſtudioſiſsimum. qui enim ab Eugenio Quarto Pont. Max. quaſi præmium prænunciatæ Florentinis victoriæ, ſacram venerationem recepit, ſperandum eſt, vt amplioribus modò titulis in vniuerſa Eccleſia decoratus, idem è cõtra Sanctitati Veſtræ publicæ præmium tranquillitatis rependat.

## PETRI EMI VENETI EPISCOPI Cremenſis.

BEatum Andream Corſinum, Florentinæ nobilitatis decus, Carmelitanæ Religionis ſidus, Epiſcopalis ordinis ſplendidiſsimum lumen, Euangelicæ legis Nazaræum, niue candidiorem, vt verbis vtar Hiereminianis, ob admirabilem caſtitatis candorem; lacte nitidiorem,

ob incredibilem morum ſuauitatem ac humilitatem; ebore rubicundiorem antiquo, ob excellentem in Deum proximumque charitatem; ſapphiro pulchriorem, ob ſapphirinam, cæleſtemque in terris vitæ rationem, ob hyacinthorum copiam, nempe miraculorum multitudinem, quibus manus ipſius tornatiles & hyacinthinæ plenæ erãt; inter quæ præcipuè enitent data Auenione cœco lumina, colloquiaque honorifica cum ſanctiſſima Deipara Virgine: Beatum inquam Andream Corſinum, prædictis omnibus canonicè comprobatis, & ad lydium lapidem reuocatis, vt præfertur, verè & ex animo ſentio digniſſimum, meritiſſimumque eſſe, qui in Sanctorum numerum ſolemni pompa referatur, & in albo Diuorum deſcribatur: ſi tamen ita placuerit Sanctitati Veſtræ, cui ſalus & incolumitas.

# ALEXANDRI PHILONARDI
Epiſcopi Aquinatis.

QVoniam ea virtus, Beatiſſime Pater, cæleſtes honores vſurpare maximè debet, quæ non ſolùm genere ſibi glorioſa, ſed cæteris officio fuerit ſalutaris; iure optimo Cælum B. Andreæ Corſino, publica celebritate ſacrorum, aperiendum videtur. Quid ni enim glorioſum illud in primis ſit, quod matri ſe lupum, & agnum præbuit in ſomnijs, antequam natus euigilaret ad vitam? mox laborioſo curſu virtutis conſecraturus originem illius quietis, ac ſomnij, è lupo agnus effectus, primitias Deo & Agno ita ſe obtulit, vt & Agni delicijs gratus, & robore Numinis formidandus, Diuinitatis bonitatem moribus, miraculis exprimeret etiam poteſtatem. Tum Epiſcopatum fugiendo aſſequutus, genus virtutum omnibus etiam fructuoſum inſtituens, ſacræ doctrinæ ſtudijs Auguſtinum, zelo religionis Ambroſium, expulſione ſeditioſorum Leonem, liberalitate in egenos Gregorium Magnum ſequi conatus; eorum tan-

rum, vel præſides, vel adminiſtri apud Deum habentur. Id verò vt Sanctitas Veſtra quamprimum præſtet, & enixè rogo, ac demiſsè precor.

## ATTILII AMALTHEI ARCHIEPIſcopi Athenarum Aſſiſtentis.

IN relatione coram Sanctitate Veſtra, & Sacro Cardinalium Collegio in Conſiſtorio ſecreto nuper habita, de vita, & ſanctitate B. Andreæ, Carmelitani Ordinis primum alumni, deinde Feſulanæ Eccleſiæ Antiſtitis, eminentes & ſolidæ Chriſtianæ virtutes, necnon præclara & grandia miracula, meritis & interceſſione ipſius, tam in morte, quàm in vita edita, non minus ordinata quàm perſpicua narratione continentur: eaque omnia tanto teſtium fidedignorũ numero probata ſunt, vt neminem futurum arbitrer, qui certo ſibi non perſuadeat, eundem B. Andream digniſſimum eſſe, qui honorificentiſſimo

Canonizationis teſtimonio à Sanctitate Veſtra, cuius ſolius eſt homines in Sanctorum numerum referre, confidenter & benignè decoretur & illuſtretur: vt ea ratione, cui à ducentis quinquaginta & pluribus annis, tum in Vrbe Florentiæ patria ſua, tum in pluribus Hetruriæ locis, honores, qui Sanctis in Cælo cum Christo regnantibus deferri conſueuerunt, hactenus delati ſunt, & in dies deferuntur; in poſterum in vniuerſa Orthodoxa Eccleſia militante poſſint, & debeant ab omnibus, pio ac deuoto cultu deferri & præſtari.

## OCTAVII BENINI ARCHIEPISCOPI Andrinopolitani Aſſiſtentis.

INſignia, & admirabilia ſunt, quæ de Beati Andreæ vita & miraculis, celebri & communi omnium conſenſu, & multorum etiam experientia, & Sanctitatis Veſtræ relatione ſunt comprobata: & benedictus ſit Deus, qui in nouiſ-

ſimis

ſimis etiam diebus in Seruo ſuo conſolatus eſt Eccleſiam ſuam. Fuit enim B. Andreas lucerna ardens poſita ſuper candelabrum Feſulanæ, imò potius totius Catholicæ Eccleſiæ: qui in carne hac ſine carne, in terra ſine terra mirabiliter vixit, abnegans ſæcularia deſideria, excellens miraculorum gloria in vita, & poſt mortem; pollebat enim excellenti fide, inſigni pietate, charitate feruenti, admirabilem in dignitate humilitatem oſtendens. Quapropter ingentem Sanctitatis Veſtræ prudētiam omnibus notiſsimam, mihi autem diu probatam, verè à ſancto Spiritu ſemper aſſociatam, ſed in hac potiſsimum deliberatione de Beato viro in Sanctorum catalogum adſcribendo, laudabilem eſſe omnis creatura fatetur: cui Canonizationis decreto, ego quoque humillimus ſeruus libentiſsimè ſubſcribo; & fateor Florentinam Progeniem, quinimò vniuerſam Chriſtianorum Rempublicam efficaciter obligatam ad immortales gratias reddendas: quia Sanctitas Veſtra quaſi Apis fructuoſa multiplicauit in Cælo interceſſores, quorum ſuffragijs adiuuemur; vt Deus, cu-

ius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, dies noſtros in ſua pace diſponat, atque ab æterna damnatione eripiat.

## PAVLI DE CVRTE OLIM EPISCOPI Æſernieñ Aſsiſtentis.

QVæ de B. Andreæ Corſini vita, ac miraculis propoſuit Sanctitas Veſtra, tam præclara, tamque inſignia ſunt, vt iure optimo ſacer hic S. R. E. Senatus pari conſenſu illum cæleſtibus honoribus quamdigniſſimum iudicauerit. cuius ego ſententiam cum veneratione ſequor, & à Sanctitate Veſtra confirmandam eſſe non dubito. At ſanè illud præ cæteris admirabile viſum eſt mihi, quòd communem ab initio de illius inclyti Viri ſanctitate conceptam exiſtimationem, poſt annos fere trecentos edax rerum omnium tempus non modò non aboleuerit, aut imminuerit, ſed continuata, firmaque conſtantia auctam quoque ad nos vſque perduxerit. Nec ſine

Diuino conſilio factum exiſtimo, vt inchoatos iam diuinos honores auguſtiore pompa de manu tua, nunc abſolutos reciperet B. Andreas: nam & ipſe viciſſim in horum temporum neceſsitatibus, ampliore vtique, at ſuauiore patrocinio conſilijs tuis aderit, quàm Eugenio Pontifici, Patriæque Florentiæ legitur adfuiſſe. Non enim cruento prælio, & aduerſariorum internecione (ſicut illos tunc ſeruauit incolumes) hæc, quæ modò quieſcunt, modò reſurgunt, mala propellet; ſed ſuis ad Deum precibus conciliatorem Te Chriſtianorum Principum impetrabit: vt ſic veræ, ac ſolidæ pacis artibus non vni tantum Ciuitati, ſed toti diu iam laboranti ſuccurras Italiæ; ſedatiſque prorſus in ea bellorum tumultibus, Tua ſingulari pietate, ac ſapientia conuerſis armis in Chriſtiani nominis hoſtes, & Orthodoxæ fidei deſertores, fideles populi aliquando reſpirent. Aderit iuſtis conatibus Tuis ſacerdos iſte magnus à Te honoribus cumulatus: & quia in diebus ſuis Deo placere ſtuduit, factus iam illi placens, ac dilectus, obtinebit omnino, vt in tempore iracundiæ

San-

Sanctitas Veſtra lapis angularis, & reconciliatio ſit Populo Dei omnipotentis.

## PETRI FRANCISCI MONTORII olim Epiſcopi Neocaſtreñ Aſsiſtentis.

DIgnum ſanè ſumma veſtra ſapientia ac prudentia arbitror, Beatiſsime Pater, quòd in animum induxerit B. Andream Corſinum in Sanctorum numerum referre. Exemplum enim proponet Veſtra Sanctitas noſtro Epiſcoporum Choro, quod aſsiduè imitari contendat; quemadmodum ſanctimoniæ ſpecimen habituri ſunt præ oculis, qui ſe dicatis Deo familijs addixere. Vt igitur publicæ religionis cultum Beato Præſuli Veſtra Sanctitas quamceleriter decernat, Epiſcoporum & Religioſorum Ordines humillimè depoſcunt.

## ERASMI PARAVICINI EPISCOPI Alexandrini Aſsiſtentis.

ADeò præclara ſunt, Beatiſsime Pater, quæ in Seruo Dei Andrea Corſino enituerunt omnimodæ virtutis, ac veræ ſanctimoniæ lumina, vt ſicuti vitæ ſuæ Patronam Deiparam Virginem habere, ab eaque deſignato mortis die, cæleſtis gloriæ immortalitatem ſibi polliceri ille promeruit; Ita dignus optimo iure videatur, qui Sanctitatis Veſtræ decreto Sanctorum numero adſcriptus, hoc quoque in terris cultu, nouo gloriæ incremento cumuletur.

## IOANNIS BAPTISTÆ RINVCCINI Archiepiſcopi Firmani.

CAeleſtes honores, Beatiſsime Pater, vendicare ſibi iam diu videbatur B. Andreas Epiſcopus Feſulanus, qui præter innumeras virtutes, ſacro præci-

puè Epiſcoporum ordini, tam in ſuſcipiendo, quàm in obeundo munere ſuo, nouum extitit Pontificiæ dignitatis exemplar. Sed hoc quàm iuſtè Sanctitas Veſtra, tam etiam opportunè præſtat hoc tempore erga virum pacis ſtudioſiſsimum. qui enim ab Eugenio Quarto Pont. Max. quaſi præmium prænunciatæ Florentinis victoriæ, ſacram venerationem recepit, ſperandum eſt, vt amplioribus modò titulis in vniuerſa Eccleſia decoratus, idem è cōtra Sanctitati Veſtræ publicæ præmium tranquillitatis rependat.

## PETRI EMI VENETI EPISCOPI Cremenſis.

Beatum Andream Corſinum, Florentinæ nobilitatis decus, Carmelitanæ Religionis ſidus, Epiſcopalis ordinis ſplendidiſsimum lumen, Euangelicæ legis Nazaræum, niue candidiorem, vt verbis vtar Hiereminianis, ob admirabilem caſtitatis candorem; lacte nitidiorem,

ob incredibilem morum ſuauitatem ac humilitatem; ebore rubicundiorem antiquo, ob excellentem in Deum proximumque charitatem; ſapphiro pulchriorem, ob ſapphirinam, cæleſtemque in terris vitæ rationem, ob hyacinthorum copiam, nempe miraculorum multitudinem, quibus manus ipſius tornatiles & hyacinthinæ plenæ erãt; inter quæ præcipuè enitent data Auenione cœco lumina, colloquiaque honorifica cum ſanctiſſima Deipara Virgine: Beatum inquam Andream Corſinum, prædictis omnibus canonicè comprobatis, & ad lydium lapidem reuocatis, vt præfertur, verè & ex animo ſentio digniſſimum, meritiſſimumque eſſe, qui in Sanctorum numerum ſolemni pompa referatur, & in albo Diuorum deſcribatur: ſi tamen ita placuerit Sanctitati Veſtræ, cui ſalus & incolumitas.

## ALEXANDRI PHILONARDI Epiſcopi Aquinatis.

QVoniam ea virtus, Beatiſſime Pater, cæleſtes honores vſurpare maximè debet, quæ non ſolùm genere ſibi glorioſa, ſed cæteris officio fuerit ſalutaris; iure optimo Cælum B. Andreæ Corſino, publica celebritate ſacrorum, aperiendum videtur. Quid ni enim glorioſum illud in primis ſit, quod matri ſe lupum, & agnum præbuit in ſomnijs, antequam natus euigilaret ad vitam? mox laborioſo curſu virtutis conſecraturus originem illius quietis, ac ſomnij, è lupo agnus effectus, primitias Deo & Agno ita ſe obtulit, vt & Agni delicijs gratus, & robore Numinis formidandus, Diuinitatis bonitatem moribus, miraculis exprimeret etiam poteſtatem. Tum Epiſcopatum fugiendo aſſequutus, genus virtutum omnibus etiam fructuoſum inſtituens, ſacræ doctrinæ ſtudijs Auguſtinum, zelo religionis Ambroſium, expulſione ſeditioſorum Leonem, liberalitate in egenos Gregorium Magnum ſequi conatus; eorum tan-

dẽ gloriam expectare meritò poteſt à Sanctitate Veſtra, quorum ipſe facta tantopere eſt imitatus. Sane, ſi Vrbano V. plurimum Italia debuit, quot & quales Vrbano Octauo Pontifici ſapientiſſimo debebit gratias Orbis terrarum, ſi eundem totius Mundi pacificatorem apud Deum, renunciet Cælitum ordinibus adoptatum?

## PHILIPPI SALVIATI EPISCOPI Burgi S. Sepulchri.

EXimia ſanctitatis exempla, præclara virtutum merita, inſignia miraculorum dona in Beato Antiſtite Andrea Corſino eminentiſſimè coruſcantia, requirunt quòd ſumma prudentia, ac pietas Sanctitatis Veſtræ Canonizationis honore ipſum decoret:& ſic Empyreo gaudium, optimo viro præmium, nobiliſſimæ Corſinorum Familiæ beneficium, orbique terrarum in tot calamitatibus laboranti ſolatium impendet.

# THOMÆ XIMENEZ EPISCOPI Feſulani.

EX relatis de Beati Andreæ virtutibus, ac miris ad eius inuocationem diuinæ pietatis operibus, cenſeo decernendos illi honores Sanctorum, quem etiam innocentia vitæ, & laudabilis exitus poſteritati commendatum, iam per tot ſæcula venerabilem reddiderunt. Demum mouet me Cleri, ac Populi Feſulani, à maioribus, quaſi hæreditario quodam iure tranſmiſſa particularis affectio, & fiducia: qua mediante ſpero fore, vt quidquid ſpiritualis ſubſidij illis tenuitate mea ſubtrahitur, glorioſi Prædeceſſoris ſolemni inuocatione ac patrocinio cumulatiſſimè ſuppleatur.

## LAVRENTII AZOLINI
Epiſcopi Ripani.

TRia præcipuè coruſcant in his, quæ B. Andreas Corſinus mirabilia patrauit; multiplicatio panum, ſanatio ægritudinum, ſedatio tumultuum. Spes inde affulget, hoc ipſo tempore, quo per Chriſtiani Orbis regiones turgent diſſidia, ſæuit fames, graſſatur peſtilentia, ſi Vir iſte ſanctiſſimus à Catholica Eccleſia luculentiùs colatur, ac proinde vehementiùs obſecretur; ipſum impetraturũ à Deo Opt. Max. (niſi hominum peccata præpediant) aeris ſalubritatem, annonæ vbertatem, bellorum quietem. Hac ergo erectus fiducia, & perlectis monumentis eius ſanctimoniam, & miracula ſolidè teſtantibus; eundem B. Andream Sanctorum Confeſſorum atque Pontificum albo adſcribendum eſſe, nedum adſentio, verum etiam aueo, Beatiſſime Pater, quin & humillimè flagito.

# CHRISTOPHORI CAETANI
## Epiſcopi Laodiceæ.

PVblica documenta de ſanctitate, & præclaris miraculis Serui Dei Andreæ Corſini, fuerunt, Beatiſſime Pater, ita abundè diſcuſſa, vt Illuſtriſſimi Cardinales in eam ſententiam venerint vnanimes, Sanctitatem Veſtram poſſe, ſi ei placuerit, ad eius Canonizationem ſolemni ritu procedere. Ipſe vti omnium minimus in ſacroſancto hoc Senatu venerationem potius, quàm tantæ rei ſententiam proferam. Morem nihilominus gerendo, humillimè ac reuerenter cenſeo, Virum hunc, omniũ virtutum laude cumulatiſsimum, in Sanctorum Confeſſorum album referri poſſe. Quod nedum Chriſtianæ Reipublicæ, (cui fructuosè inſeruiuit) & Sanctitatis Veſtræ, decus; verum etiam ampliſsimi Epiſcoporum ordinis, Carmelitarum Religionis, Florentinique nominis gloriam immortalem fore non dubito.

## BENEDICTI VAEZ EPISCOPI Vmbriaticeñ.

PVlcherrimum lilium (Beatum dico Andream, Florentiæ laudem, parentum gloriam, Pontificum decus & coronam) in Florentina Valle ex nobili Corſinorum germinatum ſtipite, & ab amœno Carmelo monte in æternæ voluptatis paradiſum tranſlatum, iampridem in Altari triumphantis Eccleſiæ diuinam fragrantiam efflat, ac cæleſtem ſpirat ſuauitatem. Vt ergo lilij odor, qui cæli officinas replet, orbem quoque tranſcendat vniuerſum, muneris veſtri eſt, Beatiſſime Pater, ea, qua in terris Omnipotentis Dei vice, & authoritate fungimini, ipſum in aris Eccleſiæ militantis honorificè collocare, & fidei oraculo venerandum adorandumque proponere.

# FR. CELSI ZANII EPISCOPI Ciuitatis Plebis.

ARcanum illius æternæ, infallibiliſque electionis Sanctorum, caliginoſa nocte obtectum, nulli mortalium intelligentiæ, diuina non aſpirante reuelatione, reſeratum eſſe, irrefragabilibus teſtimonijs Orthodoxæ fidei ſemel atque iterum axiomata plurima decernunt. Verumtamen noſtratis Andreæ beatiſſimam illam electionem ſatis ſuperque adſtruunt Dei Genitricis, ac Chriſti Ieſu electiones mirificæ. de illa enim aſſeritur: SERVVS MEVS ES TV, QVIA ELEGI TE. de iſta: ELEGIT DEVS ANDREAM SACERDOTEM SIBI. Fas eſt igitur, vt Beati Andreæ electio in triumphanti Eccleſia iam decreta, atque ſtabilita, in militanti recipiatur, ac comprobetur *Beatus, quem elegiſti*.

LXII.

## ANTIMI DE APTIS EPISCOPI Ortoneñ & Campleñ.

CVm de nocentium peccatis agitur (Beatiſsime Pater) terreſtre iudicium, præiudicata auctoritas eſt in cælo: cùm verò de Sanctorum honoribus deliberatur, conuerſo plane ordine cælum præit, terra ſubſequitur. Iam ſi vlli mortalium ſingulari quadam prærogatiua, iam tum cùm viueret, Andreæ Corſino hæc cæli ſuffragia obuenere, quem Angelorum Regina à ſe electum, teſtimonio ampliſſimo confirmauit. Quòd ſi dum in terris ageret, cælo iudice, Ciuis Sanctorum eſt pronunciatus; æquum omninò eſt, vt cælo iam receptus, Apoſtolico in terris iudicio eorundem ordinibus adſcribatur.

## FRANCISCI VENTVRII EPISCOPI Sanċti Seueri.

AD Chriſtianæ vitæ integritatem maximè tuendam, duæ res præcipuè conducere videntur; Epiſcoporum vigilantia, & regularium diſciplina: in vtraque hic ſanctus Vir adeò excelluit, vt tanquam egregium exemplar in Eccleſia proponi poſſit. Magno itaque rei publicæ Chriſtianæ bono futurum exiſtimo, ſi Sanċtitas Veſtra eum veneratione Sanċtis debita colendum decernat.

## ANTONII RICCIVLLI EPISCOPI Bellicaſtren Viceſgerentis.

EX accurata, eaque per plura ſæcula repetita diſcuſſione, Beatiſſime Pater, citra controuerſiam liquet Beatum Andream cæleſti munere nobis datum, cæleſtem vitam in terris exegiſſe, eamque diuinorum prodigiorum gloria

com-

comprobaſſe; Regularem pariter, ac Epiſcopalem ordinem, vtrumque licèt per ſe ſanctum, ſanctorum tamen operum fructu ſanctiorem reddidiſſe. Hæ ſunt cauſæ, Beatiſſime Pater, quibus diuinæ voluntati conſentaneum, ac Chriſtianæ Reipublicæ pluribus nominibus ſalutare (hac præſertim temporum neceſſitate) eſſe exiſtimo, vt illi per Sanctitatem Veſtram publici decernantur honores: vt Beati Antiſtitis ſanctitate declarata, ſapientiam eius diſcant vtriuſque ordinis ſacerdotes, laudem narrent omnes populi, & gloriam enunciet vniuerſa Eccleſia ſanctorum.

## NICOLAI BENIGNI EPISCOPI Ciuitatis Ducalis.

BEato Andreæ Corſino Feſularum Epiſcopo diuinos honores decernendos quiſque cenſebit, qui eius vitæ ſanctitatem, virtutum excellentiam, & plurima ab eodem patrata miracula, pau-

lò diligentius conſiderauerit. Æquum igitur eſt, vt qui ex lupo in agnum mutatus, candidis decorus veſtibus, roſas, & lilia manibus geſtans, vnà cum virginibus Agnum in Cælis ſequitur, vt ipſemet Canonico ſe familiari oſtendit; hic etiam inter mortales, Sanctorum veneratione colatur.

## RANVTII FRANCISCI SCOTTI
### Placentini Epiſcopi Burgi Sancti Donnini.

EQuidem, Beatiſſime Pater, Andreas Corſinus Seruatoris noſtri doctrinam, & morum integritate, & rerum geſtarum magnitudine profeſſus eſt. nam amor in Deum verè diuinus, aſſiduo precandi ſtudio; amor in proximum ſingularis, profuſiſsimis eleemoſynis; vitæ mundi contemptus, ſacræ Deo familiæ nomen dando, corpuſque ſuum rigidiſsimè affligendo, mirifice in illo eni-

tuerunt: necnon laborans, vigilans, ac opus Euangeliſtæ faciens, partes omnes optimi Paſtoris ita impleuit, vt addita gloria miraculorum illuſtri, vas auri ſolidum omni lapide pretioſo ornatum appellari meritò poſsit. Nec dubitandum eſt, quin ſupra multa conſtitutus intrauerit iam in gaudium Domini ſui; ideoque à Sanctitate Veſtra, his præſertim calamitoſiſsimis temporibus, in Cæleſtium numero reponi poſſit: vt tanti Patroni, tanti Ducis, & ope & ductu, teterrimi hoſtis conatus, & audaciam infringere, atque in priſtinum tranquillitatis portum Eccleſiæ nauim traducere poſsit. Quod certò, Te eam ſapientiſsimè gubernante, euenturum & ſperamus, & confidimus.

## IOANNIS DE GVEVARA
### Epiſcopi Theanenſis.

QVem haſtenus ſanctitatis florem in terris fuiſſe compertum eſt, Andream Corſinum, Beatiſsime Pater, nunc in Cælis inter aſtra matutina, ac iubilantes filios Dei connumerandum eſſe ſuadet omnino connexio meritorum cum præmio, ſanctitatis cum gloria. Cùm enim beatus hic Vir, virtutibus florens, bonus odor Chriſti fuerit in Carmeli vertice fragrans; ac Feſulano in culmine ad iuſtitiam erudiens multos, ſalutaris doctrinæ radios, tanquam rutilantia vndique folia, in gyrum emiſerit: poſt varias miraculorum coruſcationes tandem in cælum tranſlatus, fulgere meruit quaſi ſtella in perpetuas æternitates.

## HIERONYMI PARISANI
### Epiſcopi Polignanen.

INtegra B. Andreæ Corſini vita, ſingularibus virtutibus, & clariſſimis teſtata miraculis, via quædam fuit, & curſus ad metam perfectæ ſanctitatis. Quare, quod eius nomen ſignificat, Curſorem fortiſſimum non cenſeo vlterius à Sanctorum honoribus retardandum, qui ad laborum onera velociſſimus ſemper fuit.

# S. D. N. VRBANI VIII.
## ad Sententias ſeu Suffragia DECRETVM.

VESTRAM Ven. fratres, audiuimus ſentẽtiam: cuius vi noſter magis excitatus animus, perſuaſionem, quam de B. Andreæ ſanctitate concepit, auctam confirmat; ita vt propoſitum de illo in Sanctorum Catalogum referendo, Nobis à Deo delabi intelligamus. Quapropter diem xxij. præſentis menſis Aprilis indicimus, ad hanc celebritatem ritu Eccleſiæ conſueto peragendam. Interea ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis humiliter ab eo flagitate, qui Pater eſt luminum, & à quo omne datum optimum & perfectum prouenit, vt ad ſui nominis & Eccleſiæ ſuæ gloriam, noſtræ menti prælucens, ſacram hanc dirigat, & ſanciat actionem.

# Prima Inſtantia

## COM. ANTONII MONTECATINI ADVOCATI CONCISTORIALIS

Facta coram SANCTISSIMO in actu Canonizationis ſub die xxij. Aprilis MDCXXIX.

*Beatiſsime Pater.*

PHilippus de Bettune, Orator Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, hic præſens, nomine dicti Regis inſtanter petit, per Sanctitatem Veſtram pronunciari B. Andream Corſinum, Carmelitam & Feſulanum Epiſcopum, Catalogo Sanctorum D. N. Ieſu Chriſti adſcribendum, & tanquam Sanctum venerandum ab omnibus Chriſti fidelibus.

# IO. CIAMPOLI SECRETARII S. D. N. VRBANI VIII.

## *Reſponſio ad primam Inſtantiam.*

PRæconia cælitum, & teſtimonia miraculorum potuerunt iampridem in animis fidelium, quæ Spiritus ſancti templa nuncupantur, B. Andreæ Corſino extruere priuata pietatis altaria. Nunc autem, cùm tam illuſtria fauentis Numinis iudicia fides iuratorum teſtiũ, & cognitio ſacrorum magiſtratuum comprobauerit; videntur non temerè Beato illi Antiſtiti poſſe publicæ aræ in Catholica Eccleſia decerni. Nihil enim in cæleſti hac ſempiterni triumphi cauſa prætermiſſum eſt, quod aut diſquirere potuerit prudentia temeritatem peroſa, aut ſpeculatrix cæli pietas ſoleat explorare. Quare diem hunc Paſchalibus gaudijs ouantem illuxiſſe putat S. D. N. quo religioſa Chriſtianorum Regum, Magnorum Ducum, & nobilium Familiarum vota lætificet. Porrò autem iu-

cundiſſimum erit Sanctitati Suæ, nouum hoc perfecti decoris diadema Florentinæ patriæ imponere; in qua per tanti Præſulis laudes, gloriam Libani, & decorem Carmeli Sol iuſtitiæ voluit efflorescere. Nec minus publicæ felicitatis intereſt, patrocinium B. Andreæ nouo templorum cultu calamitoſis hiſce temporibus conciliari. Affluet eo fauente felix abundantia diligentibus Eccleſiam Chriſti: pijs enim miſerentis Epiſcopi eleemoſynis patefacere voluit horrea inexhauſtæ vbertatis Deus ille, cui difficilius non eſt panes in arca, quàm fruges in agro progignere. Tutelam publicæ valetudinis inueniemus in eo, cuius dextera, dum Epiſcopali benedictione populos communiret, cæleſti beneficentia lucem cæcis, & ægrotantibus ſalutem reſtituens, propinari videbatur mortalibus alexipharmaca miſericordiæ Omnipotentis. Nec deerunt firma Romanæ Eccleſiæ propugnacula per illum qui ciuiles ſeditiones in tranquillitatem, formidoloſa bella in victorias conuertit. At enim commune hoc cùm ſit cæleſtium, atque mortalium negotium,

nihil

nihil fas eſt in præſentia deliberare inconſultis Principibus beatitudinis ſempiternæ. Ergo ad pia vota, & ſupplices preces nunc potiſſimum decurrat in hoc fidei ſanctuario vnà cum Apoſtolico Senatu lectiſsimus Antiſtitum, & nationum chorus. Sperat enim Sanctiſſimus Dominus Noſter, fore vt Beatiſſima Virgine, ac Sanctis omnibus ſuffragantibus, præcipuè verò fauentibus Principibus Apoſtolorum Petro, & Paulo, quorum corpora coram veneramur, negotium hoc in Chriſtiana Republica grauiſſimum, cælo, terraque plaudentibus, mox piè, ac ritè perficiatur.

*Kyrie eleiſon, &c.*

## Secunda Inſtantia.

### *Beatiſsime Pater.*

PHilippus de Bettune, Orator Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, hìc pręſens, nomine dicti Regis inſtanter & inſtantiùs petit, per Sanctitatem

Veſtram pronunciari B. Andream Corſinum, Carmelitam & Feſulanum Epiſcopum, Catalogo Sanctorum D.N. Ieſu Chriſti adſcribendum, & tanquam Sanctum venerandum ab omnibus Chriſti fidelibus.

*Reſponſio ad ſecundam Inſtantiam.*

NEque ſine tenebris terrenæ noctis ſidera cæli conſpiciuntur, nec ſine Diuini ſpiritus lumine cõtueri poteſt Eccleſia domeſticos Dei, qui tanquam ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Quare tantum opus mox Sanctiſſimus Dominus Noſter abſoluturus, iterum Spiritus ſancti lucem implorandam hoc diuini beneplaciti tempore arbitratur.

*Veni ſancte Spiritus, &c.*



Digitized by Google

# Tertia Inſtantia.

## *Beatiſsime Pater.*

PHilippus de Bettune, Orator Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, hic præſens, nomine dicti Regis inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè petit, per Sanctitatem Veſtram pronunciari B. Andream Corſinum, Carmelitam & Feſulanum Epiſcopum, Catalogo Sanctorum D. N. Ieſu Chriſti adſcribendum, & tanquam Sanctum venerandum ab omnibus Chriſti fidelibus.

## *Reſponſio ad tertiam Inſtantiam.*

OMnes gentes plaudite manibus, auribus percipite, qui habitatis orbē. Cuſtos cæleſtium clauium, Pontificia authoritas, oſtendens terris Principes gloriæ, patefecit in præſentia portas æternales; ac B. Andream Corſinum, ſacerdotē Carmelitam, & Feſulanum Epiſcopum, ſanctorum Confeſſorum Catalogo adſcribit.

# Gratiarum Actio.

*Beatiſsime Pater.*

IDem Philippus de Bettune, Orator Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, hìc præſens, nomine dicti Regis acceptat pronunciationem per Sanctitatem Veſtram factam, & Ei immortales gratias agit: ac eodem nomine ſupplicat, vt Sanctitas Veſtra dignetur decernere Literas Apoſtolicas ſuper hac Canonizatione facta.

Rogantur etiam omnes Protonotarij, & Notarij hìc præſentes, vt ſuper huiuſmodi ſolemnis Canonizationis actu conficiant vnum vel plura, publicum ſeu publica, inſtrumentum vel inſtrumenta, ad perpetuam rei memoriam.